

1583
 Philippus
 Paschali-
 cus trire-
 mes Meli-
 pit.

Per eos dies Philippus Paschalicus, Joanni Baptista Con-
 tarenno in Cretensis custodiæ præfectura suffectus, cum prope
 Chisamum quatuor Melitensium triremes præda onustas offen-
 disse, intento remigio fugientes acriter infectatus, in suam
 potestatem redegit, Equites aliquot capitivos effecit. Ejus rei
 fama per omnem Europam pervagata, atque ad Regum ac
 Principum aulas delata, multos ferendi sermones materiam
 præbuerat: plerique factum reprehendere ac detestari; multa
 in Venetos, eorumque maritimos duces maledicta congerere:
 injuriam præcellenti Hierosolymitanorum militum ordini illa-
 tam, qui virtutis opinione, rebus præclare gestis, se per omnes
 provincias regnaque christianæ reipublicæ diffudisset, supe-
 rioribus annis Suleimani, invicti Principis, vires animosque fer-
 gisset, proximo cum Selymo ad Echinadas prælio sanguinem
 effudisset. Præ ceteris vero Pontifex vehementius inveheba-
 tur, graviterque cum Laurentio Priolo oratore, conquereba-
 tur. Senatus, qui optimo jure Paschalici factum probabat,
 nullaque alia ratione excursions maritimas tolli posse cen-
 suerat, de ejus rei eventu Reges atque alios christianos Prin-
 cipes doceri per legatos jubet: *Nil non tentatum, ut Me-
 litenses atque alii procul a Venetis ditioribus excursions exer-
 cerent; nihil officiis impetratum: non Pontificis auctoritate,
 non Philippi optimi Regis exemplo permotos: per vim navi-
 gia, prætexto avaritiæ religionis nomine, scrutari; inde ne-
 gotiatores ac commercia averti, publica vectigalia imminui,
 querelas Byzantium deferri, potentissimi hostis arma, non
 absque totius reipublicæ christianæ detrimento in Venetos pro-
 vocari: jam Cretam, peramplam insulam, ac innumera pro-
 pe populi multitudine refertam, obsideri; alias insulas ad soli-
 tudinem fere redactas, quod exire ac tuto maria vel percur-
 rere vel insidere, frumenta aliaque ad victum necessaria ex
 turcicis circumjectis regionibus avehere non possent; quando-
 que summa omnium rerum inopia pressas summis populorum
 querelis opem atque auxilium Reipublicæ implorasse: his ma-
 lis ut tandem finis imponeretur, quid non Senatum egisse,
 quos non fatigasse? non in Hierosolymitanam familiam odio,
 quam summa benevolentia persecutus fuisset, sed necessi-
 tate impulsus, ut tot imminencia pericula depelleret, ad*